

30 8. Quod¹¹⁴ dum decantatur a clero, deducatur ante crucem ibique similiter^d ad terram prostrato pavimento tapetibus et pallio contexto dicat item metropolitanus orationem:

35 *Omnipotens*¹¹⁵ *sempiternus deus, celestium terrestriumque moderator, qui famulum tuum N. ad principatus fastigium eligere dignatus es, concede, quesumus, ut a cunctis adversitatibus liberatus et ecclesiastice pacis munere muniatur et ad eterne pacis gaudia te donante perveniat. Per.*

40 9. Post hec ducatur a proceribus ad secretarium et scola imponat introitum ad mis/sam. Interea designatus princeps indumentis se induat^e ad hoc specialiter cum fibulis preparatis^f, quibus facilius possit exui et pectus ac scapulas honeste ad consecrationem prebere.

10. Perlecta vero epistola domno archiepiscopo sublimi residente in sede perducatur inter manus duorum episcoporum ante ipsum et hinc inde consedentibus episcopis iubeatur consecrandus ante faciem archiepiscopi in sede sibi preparata sedere.

45 11. Quem humiliter residentem examinat summus pontifex prius de fide catholica his verbis¹¹⁶:

50 *Oportet te, filii karissime, qui princeps es hodie in dei populo constituendus et quem deus sua dignatus est eligere gratia ad defensionem ecclesie sue sancte, prius de fide tua certos nos reddere / et coram deo et nobis de fide catholica satisfacere, quatenus et nos in dei nomine fidelius ac securius in te, que agenda sunt, exequamur et ecclesia tota congaudeat catholico tuenda patrono.*

55 *Int(errogatio): Credis*¹¹⁷ *igitur secundum tuam intelligentiam et capacitatem sensus tui patrem et filium et spiritum sanctum unum deum in trinitate et hanc trinitatem in unius deitatis essentia permanentem?*

R(esponsio): Credo.

d) So Hs. statt humiliter der Quelle.
tum.

e) korr. aus inducat.

f) Hs. preparatum.

114) Vgl. PRG 72, 6 (VOGEL/ELZE 1 S. 247); dort sind aber Geleit, Prostration des Königs und die Litanei ausführlicher beschrieben.

115) PRG 72, 5 (VOGEL/ELZE 1 S. 247), umgearbeitet für einen Fürsten.

116) PRG 72, 7 (VOGEL/ELZE 1 S. 249) hat vielleicht von der Sache her anregend gewirkt, ist aber viel kürzer. Eine Glaubensprüfung ähnlichen Umfangs kennt Ordo 14, 13f. für die Kaiserkrönung bei ELZE, Ordines coronationis imperialis, S. 38f. (= Ordo Cencius II, Kurie, 1. Hälfte des 12. Jh.).

117) Vgl. Kaiserkrönungsordo 14, 14 (ELZE, Ordines coronationis imperialis, S. 39).